



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 176. Pacis consilia ab Hispaniæ Rege proposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. dicta accensi urbem continua tormen-
 A. C. 1617. torum explosione acriter quaterent, &
ferme ad deditiois necessitatem redi-
 gerent: quocirca Triestensi Episcopus
 tempestive Petrum Toletanum Medio-
 lani Governatorem urgebat, ut e ditio-
 ne sua in Venetos erumpens, illos ad
 distrahendas vires suas compelleret.

§. CLXXVI.

*Pacis consilia ab Hispaniæ Rege
 proposita.*

Ferrer. Hist.
Hisp. art. 2. Cum interea hostiles copię cædere
 mutuo, cadereque pergerent, nec
 armorum inter strepitus salubria Pon-
 tificis Maximi, nec Franciæ Regis con-
 silia pacis audirent, Philippus III. Hi-
 spaniæ Rex pro componendo hoc bello
 Madriti omnem impendit operam: Ea-
 propter per suum Legatum pacificatio-
 nis conditiones die sexta Septembris
 Parisiis, sollicitantibus Ludovico XIII.
 Rege, & Guidone Bentivolio Papæ
 Nuntio, per Venetos Oratores, necnon
 Cæsaris Legatos ratas haberi consti-
 tuit, easque die vigesima prima Octo-
 bris ad Rempublicam Venetam trans-
 misit: Erant autem sequentes. I. Præ-
 sidio Germanorum militum ad Zengam
 introducto confestim locus aliquis in
 Istria Zengensibus vicinus a Venetis
 resti-

restitatur. II. Recepto hoc præsidio Sæc. XVII.
 statim utrinque Deputati constituantur, decernentes, quinam ex Uscocis A. C. 1617.
 Adventitiis & stipendiariis, qui depræ-
 dationibus dediti sunt, Zenga ejciantur. III. Ceteri, qui aut duntaxat hu-
 jus belli tempore infestum mare reddi-
 derunt, aut semper innoxiam hætenus
 duxere vitam, impune relinquuntur.
 IV. Ejciantur quoque, qui a Venetis
 proscripti, ibidem sedem fixerunt, eo-
 rum vero loca a Venetis occupata Fer-
 dinando reddantur. V. Integro bime-
 stri utrinque ab armis cessetur, quo e-
 voluto, armisque depositis omnia in
 pristinum restituantur, concessa Depu-
 putatis facultate, hoc bimestre prolon-
 gandi, si interea inter partes conveni-
 re non posset. VI. Captivi utrinque
 dimittantur, indulta præteritorum ob-
 livione. VII. Cæsar & Ferdinandus
 spondeant, quod ejectos Uscoccos nun-
 quam amplius recipere, & Venetos ab
 eorum violentiis vindicare velint. VIII.
 Navigationis securitas juxta præscriptas
 Viennensis pacti leges anno millesimo
 sexcentesimo duodecimo initas inviolata
 fervetur. IX. Denique hæc pacta ab
 utraque parte rata habeantur, eaque
 Cæsar, Ferdinandus & Respublica Ve-
 neta intra bimestre suis chirographis
 firment. Attamen Veneti hosce paci-

Sæc. XVII. A.C. 1617. ficationis articulos suæ causæ minus proficuos censebant, unde missis ad Oratores suos literis eosdem, interminata etiam carceris poena, redarguebant, quod circa triremium restitutionem, & alia nonnulla comprobanda mentem & mandata Reipublicæ excessissent: frustrata igitur pacis spe Veneti Gradiscam furiosius, quam unquam, cominus eminusque verberabant, quamvis, ob incredibilem tum propugnantium virtutem tum mænium, operumque firmitatem, inutili prorsus successu suos milites continuæ exposuissent cædi: quocirca Hispani Venetorum ea, quæ tunc esse insolentior videbatur, pervicacia ferociore redditi, oppida quædam, & castella Lombardica Reipublicæ subjecta circa Cremam hostiliter infestarunt, quo cognito Veneti quatuor suorum millia Hispanorum finibus opposuere, quorum virtute ad velitare ventum est certamen, quod etiam magis Hispanis, quam Venetis exitiale fuit: unde funesta utriusque partis conditio supremos rerum, militiæque arbitros eo redegit, ut mutuæ clamitatis necessitate pressi decernerent, quatenus ambæ partes, & quoad de rei summa novis transigeretur pactionibus, alternis utrinque cladibus, incurfibusque interim temperarent, postquam vero die

die decima quarta Octobris Barbari-
 cus in Medicæi locum subrogatus a Ve-
 netis Bellidux ad castra pervenerat,
 habito die undecima Novembris collo-
 quio hæ induciæ mutuo consensu firma-
 tæ sunt. Tandem verò sub anni sequen-
 tis nascentem Februarium Neustadii
 pax utrinque inita est, promoventibus
 concordie firmitatem Ascano Sedis
 Apostolicæ Nuntio & Julio Medicæo
 Magni Ducis Etruriæ Legato, uti post-
 ea recensimus.

Sæc. XVII.
 A. C. 1617.

§. CLXXVII.

*Continuatum bellum inter Hispanos,
 & Sabaudicæ Ducem.*

Hoc item anno Carolus Emanuel Sab-
 audicæ Dux initium bellandi spar-
 sim hinc inde prædis agendis, capien-
 disque oppidis fecerat; quamprimum
 enim Ledigerius Delphinatus Guber-
 nator, repugnante quidem Galliarum
 Rege, cum quatuor peditum millibus,
 & nongentis cataphractis in auxilium
 advenerat, mox Sabaudus his suppetiis
 auctus præter alia quædam ad Langam
 oppida, San-Damianum & Albam de-
 ditione cepit, necnon Castellatum Me-
 diolanensem, qui ad Crevacorense ca-
 stellum expugnandum accurrerat, non
 sine ingenti clade repulit: Inde vero

*Jæger. hist.
 Eccl. Ferre-
 ras l. c.
 Merc. Gal-
 lob. t. 12. l. I.
 Khevenhill.
 tom. 8.
 pag. 1193.*

